



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Clarissimo, Nobilissimoqve Viro, Domino Marco Ant. Mazenod, Domino De Pavesin, Lugdunensi Consulari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)



CLARISSIMO,
NOBILISSIMOQUE VIRO, DOMINO
MARCO ANT. MAZENOD,
DOMINO DE PAVESIN,
Lugdunensi Consulari.

 **ERMATHENAS** olim in aditu
Gymnasiorum fuisse consecratas, quibus
permixtim ac eodem Signo confusa Mer-
curij Palladisque imago finge-
batur, unamque
eiusmodi, dum versaretur in Græciâ, sibi diu stu-
dioque omni conquistam, ad Atticum suum
scribebat Cicero. Enimvero quæ votorum sum-
ma fuerat Magno illi non minus Romanæ fa-
cundiæ quam omnium lepôrum & elegantia-
rum Parenti, in te uno (**VIR CLARISSIME**)
mirabili quadam felicitate, non fictum aut ad-
umbratum, sed expressum ac spirans suspiciunt
quotquot te familiariter utuntur, illius utrius-
que Numinis simulacrum. Nimirum, quoniam
in ea Civitate adoleuisti, quæ hodièque nobilif-
simum totius Europæ Emporium est, & in quâ
olim secundum Araris Rhodanique Confluen-
tem, periclitandæ Rhetorum industriæ, Ara
Minervæ consecrata ad Athenæum visebatur;
inde ut recentia Patriæ tuæ decora veteribus

adiungeres, Athenas iterum in urbem, quæ tota
Mercurio concessisse videbatur, postliminio in-
tulisti. Nimirum ubi commerciis & negotiatio-
nibus circumquaque calent omnia, doctus ipse

Exquilias, à feruenti migrare Suburra,
Recipis te identidem ab urbano tumultu, non ut
ita te abdas in studia, ut inertia congeles; neque
ita negotiis tradas animum, ut curis ille distra-
hatur; sed operosa tibi otia facere assoles, qui-
bus nobilem exerceas, non tam magnarum re-
rum, quam virtutum eximiarum mercaturam.
Extruxisti iam pridem celebrem, haud sine grã-
dibus impensis, lectissimorum Voluminum Bi-
bliothecam, in quam quidquid in libraria su-
pellectili, rarum fuit & exquisitum, ex uni-
uersa Europa, importatum est. Eam Musarum
sedem picturis, statuisque elegantissimis
condecorasti. Nec verò solùm iam fato functos
Autores, in superstiti Lucubrationum suarum
memoria colis amore singulari: quin; si quos
literarum agnoscis studiosos, demereris officiis,
foues præsidio, nec ullatenus cessas omni hu-
manitatis genere cumulare. Prorsus ut celebra-
tissimum, sæculo proximè superiori Cosmam il-
lum Medicem, hac ætate representare videaris;
de quo Gobelinus in Cosmodromio, & Iouius
in Elogiis hæc memoriæ prodiderunt. Vir per to-
tam Europam, Ægyptum, & Orientem ne-
gotiationibus clarus; Bibliothecam Græcis
& Latinis voluminibus referat, literis ipse La-

tinis

tinis præclarè excultus, Græcarum non ignarus. Extorres post Constantinopolitanum excidium Musas hospitio excepit, Asylum Literatis aperuit; quem nihil externarum rerum latebat, quippe cui, ex Orbe ferè toto, ob latè diffusa commercia, opesque infinitas, obstricti homines responderent. Pietatis fuit promouendæ studiosissimus, magno apud temporis sui Principes Viros semper in pretio. Hæc illi; sed in eo, mirum quantum ab eius imagine vita abludit tua, quod Patriam libertate, si minùs spoliauerit; at aperuerit Soboli suæ viam, quâ sibi ad extremum pararet inuidiosum Reipublicæ dominatum. Tu iura Lugdunensium, donec gessisti consulatum, sarta tecta inuiolatè conseruasti, tam exploratâ ubique integritatis laude ac fama, ut vnâ Ciuibus abstuleris tui non amandi, tui non extollendi libertatem. Optarunt hac famâ permoti, cum ob spectatam gentis tuæ nobilitatem, tû locupletem fundatissimæ domûs censum, familiæ tuæ, sanguinis communionē coniungi, Purpurati supremæ Parlamenti Curie Præsides: iam data erat utrimque fides, moxque honorificum illud, ut sunt omnia tua, commercium, quâ es apud remotam etiâ Prouinciâ existimatione, fœlices habiturum fuerat exitus, nisi acerbo suauissimæ filiolæ casu, cœlestē Numen abdixisset. Sub idem tempus, & præclaris animi tui dotibus, quas perspektissimas habebat, & publicis Lugdunensium vocibus vo-

RAYN
Tom
De Ch
cl
Tomu
De An
Chris
N
3

tisque admonitus Prorex sapientissimus VIL-
LAREGIVS, te absentem, ac tale nihil cogitan-
tem, dignissimum pronunciauit, qui in sacram
Lugdunensis publici Magistratus Tetradem ad-
legereris. Magna omnium voluntate adlectus es;
& quam de te expectationem concitaueras mi-
rabiliter superasti. De tuis verò in me meritis
quid cōmemorem! Abundè sit, hæc de virtutibus
tuis oppidò pauca, scriptis ac famæ, per Euro-
pam, quoquò tandem hic liber accedet, dissemi-
nanda commendasse; neminem ut regia tua mu-
nificentia lateat, qui semel atque iterum, his rei
literariæ temporibus, nostro DE CHRISTI
ATTRIBUTIS Operi, benignam obstetricis
Auræ manum prolixè obtulisti, & perfecisti
porrò; quo liquidum sit apud omnes, tibi Christi
decora cordi esse, suósque etiamnum superesse Lu-
gdunensibus Mæcenates, non tam fortunarum
splendore, quàm liberalitatis gloria longum pe-
rennatos. Hoc testatur non sine grati animi
publica significatione.

Additissimus tibi THEOPHILVS RAYNAVDVS
è Societate IESV.

Lugduni Eidibus Quintil. 1662.